



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

XXXVI. Vt nullus nominatim quod ei necessarium erit quaerat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

*Quod nullus iuxta propriam voluntatem incedat.*

Conuenit his nempe militibus, qui nihil sibi Christo carius existimant, propter seruitium, secundum quod professi, & propter gloriam summæ beatitudinis, vel metum gehennæ, vt obedientiam indefinenter magistro teneant. Tenenda est itaque, vt mox, vbi aliquid imperatum a magistro fuerit, vel ab illo cui magister mandatum dederit, sine mora, ac si diuinitus imperetur, moram pati nesciant in faciendo. De talibus enim ipsa Veritas dicit:

*Psal. 117. Ab auditu auris obediuit mihi.*

## XXXIV.

*Si licet ire per villam sine iussu magistri.*

Ergo hospitales milites propriam voluntatem relinquentes, & alios ad terminum seruiantes, deprecamur, & firmiter eis iubemus, vt sine magistri licentia, vel cui creditum hoc fuerit, in villam ire non præsumant, præterquam noctu ad sepulcrum, & ad stationes quæ intra muros sanctæ ciuitatis continentur.

## XXXV.

*Si licet eum ambulare solum.*

Hi vero ita ambulantes, non sine custode, id est milite aut fratre remanente, nec in die nec in nocte iter inchoare audeant. In exercitu namque postquam hospitati fuerint, nullus miles vel armiger aut alius per atria aliorum militum causa videndi, vel cum aliquo loquendi sine iussu, vt dictum est superius, incedat. Itaque consilio affirmamus, vt in tali domo ordinata a Deo nullus secundum proprietatem militet aut quiescat, sed secundum magistri imperium totus se incumbat vt illam Domini sententiam imitari valeat, qua dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui me misit.*

*Iuan. 5.*

## XXXVI.

*Vt nullus nominatim quod ei necessarium erit quærat.*

Hanc proprie consuetudinem inter cetera adscribere iubemus, & cum omni consideratione ob quærendi vi-

ANNO  
CHRISTII  
1127

tium teneri præcipimus. Nullus igitur frater remanens assignanter & nominatim equum aut equitaturam vel arma quærere debet. Quomodo ergo? Si vero eius infirmitas, aut equorum suorum debilitas, vel armorum suorum grauitas, talis esse agnoscitur, vt sic incedere sit damnum commune, veniat magistro, vel cui est debitum ministerium post magistrum, & causam vera fide & pura ei demonstret: inde namque in dispositione magistri, vel post eum procuratoris, res se habeat.

XXXVII.

*De frenis & calcaribus.*

Nolumus vt omnino aurum vel argentum, quæ sunt diuitiæ peculiare, in frenis & pectoralibus, nec calcariibus, vel in streuis, vnquam appareant, nec alicui fratri remanenti emere liceat. Si vero caritatiue talia vetera instrumenta data fuerint, aurum vel argentum taliter coloretur, ne splendidus color vel decor ceteris arrogantia videatur. Si noua data fuerint, magister de talibus quod voluerit faciat.

XXXVIII.

*Tegimen in hastis & clypeis non habeatur.*

Tegimen autem in clypeis & hastis, & furellis in lanceis non habeatur, quia hoc non proficuum, imo damnum nobis omnibus intelligitur.

XXXIX.

*De licentia magistri.*

Licet magistro cuiquam dare equos vel arma, vel quamlibet rem cuiuslibet dare.

XL.

*De mala & sacco.*

Sacculus & mala cum firmatura non conceduntur: sic exponentur, ne habeant absque magistri licentia, vel cui creduntur domus post eum negotia. In hoc præsentis capitulo procuratores & per diuersas prouincias degentes non continentur, nec ipse magister intelligitur.

*Concil. Tom. 27.*

K ij